

dent, solamque adeo ejus lectionem commendantes, à Philosophiæ, aliarumque ingenuarum disciplinarum studio abducunt atque deterrent: Cùm sine his ne unius quidem rei perfecta scientia inde addisci, aut idea clara ac distincta acquiri: imò falsa ac perversa solâ ejus lectione corrigi queat; tum enim omnes, qui S. Codices lectitant, eosdem de rebus, quæ in illis pertractantur, deberent habere conceptus. Quod cùm non fiat, alia, quâ id confici possit, via tentanda atque terenda erit; seriâ nempe adhibitâ præjudiciorum abdicatione, & attentâ rerum ipsarum contemplatione, ac ex his emergente verâ earundem cognitione, quæ Philosophia est.

Quocirca omnes, qui Theologiæ operam navant, quiq; nostræ sententiæ assequantur amplectenturque veritatem (neque enim omnes tam obcoecatos, ut nulli ejus lux sit affulsura, aut tam obstinatos, ut nullum ad suas partes pertractura sit, credimus) monitos rogatosque volumus: ut ad veram sibi, si nondum ea imbuti sunt, comparandam Philosophiam, eâque auspice & duce, rejectis præjudiciis dogmatibusque in Theologiâ sine certò inconcussòque fundamentò admissis, ad nova reperiunda ac stabilienda, aut vetera vera confirmanda ac demonstranda omnes ingenii intendant nervos, omnia sua dirigant studia.

Et quamvis admodùm brevi angustòque conclusa adhuc sit ambitu, adeoque non multa huc facientia sufficere queat, cùm apud veteres, si Mathematicos excipias, Philosophos nihil ferè solidi evidenterque demonstrati occurrat; & à recentioribus id genus pauca tantùm excogitata atque reperta sint: Satius tamen meliusque censemus, pauca vera certò cognoscere, quàm multa falsa atque dubia, tanquam vera atque certa, & sibi persuadere, & aliis obtrudere. Quibus adde, quòd non levis arrideat spes, Philosophiæ pomœria his temporibus, quibus maximus ille ejus instaurator atque propagator Renatus Des Cartes orbi literario facem præluxit, suòque præivit exemplò, ab aliis, qui ipsius vestigiis insistere volent, longè lateque extentum iri; ac talia de Deò, Animâ rationali, summâ hominis felicitate, & id genus aliis ad vitæ æternæ acquisitionem spectantibus, in lucem protractum, quæ utramque in Scripturis interpretandis paginam absolvent, ac viam sternent parabantque planam, atque rectam, quâ Christi Ecclesia, hætenus divisa atque continguis divulsa diffidiis, in amicitiam suaviter coëat ac confluat, cujus arctissimis dulcissimisque astricta vinculis, in posterum unita atque unanimis his in terris vigeat, floreat, ac crescat, nec non in sinum suum alienas adhuc à se gentes pertrahat & alliciat, ac tandem in cœlis beata triumphet.

F I N I S.